



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCXXIV. Der Bischof Ludwig tritt dem Domcapitel eine See und ein Stück der Havel bei Pritzerbe ab, 1340.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CCXXII. Der Propst Dietrich legt einen Streit bei über einen Altar in der Katharinenkirche der Neustadt Brandenburg, am 11. Nov. 1339.

Nos Thidericus, dei gratia prepositus totumque capitulum ecclesie Brandenburgensis, recognoscimus in his scriptis, quod impetio seu briga, quam discretus vir, dominus Wernerus, dictus de Lanchufen, altaris in Stendal, hactenus habuit et movit super altari, per Nicolaum quondam dictum de Lapidea Domo, in parochiali ecclesia nove civitatis Brandenburg dotato, taliter est sopita, quod singulis diebus dominicis memoria Jacobi de Lanchufen fieri debet in ecclesia nominatim, sicut de aliis Christi fidelibus fieri est consuetum; item secundis et sextis feriis singularum septimanarum, per annorum circulum concurrentium, in salutem anime dicti Jacobi et progenitorum suorum servari debet missa pro defunctis ad altare supra dictum; item cum dies anniversarius dicti Jacobi plebano fuerit intimatus, hic servabitur in missa et vigiliis, prout circa alios Christi fideles fieri est consuetum. Adjicimus etiam, quod, si ecclesia, spectans ad nostram collationem, vacaverit, que per secularem clericum regi consuevit, et ad quam voluntas alicujus domini seu canonici cathedralis ecclesie non fuerit inclinata, illam predictam domino Wernero, si super hoc requisiti fuerimus, pietatis intuitu conferemus. In evidentiam premissorum nostra sigilla, scilicet prepositi et capituli, presentibus sunt appensa. Hujus rei testes sunt Segerus pistor, Sanderus Drofe, Marcmann et Granach, qui dicte compositioni, dum fieret, affuerunt. Actum anno domini M. CCC. XXXIX. in die beati Martini, confessoris et episcopi.

Nach einer Copie im ältern Copiarlo.

CCXXIII. Erneuerung des Vertrages zwischen dem Domcapitel und dem Magistrate der Neustadt Brandenburg über den Zehnten in Planow, vom 22. April 1340.

Nos Thidericus, dei gratia prepositus et capitulum ecclesie Brandenburgensis, favorabiliter annuere volentes precibus, quas discreti viri, consules nove civitatis Brandenburg, suo et totius universitatis dicte civitatis nomine nobis obtulerunt, copiam quarundam literarum suarum, ipsis sub anno domini millesimo trecentesimo quadagesimo, decimo Kal. Maji conscribere curavimus nostris sub sigillis. Eorum vero tenor dignoscitur esse talis: In nomine sancte et indiv. Trinitatis. Amen. Ne ea, que etc. Es folgt nun wörtlich die Urkunde, welche schon beim Jahre 1307 gegeben ist.

Nach der Copie im alten Copiarlo der Neustadt Brandenburg.

CCXXIV. Der Bischof Ludwig tritt dem Domcapitel einen See und ein Stück der Havel bei Prißherbe ab, 1340.

Nos Ludewicus, dei gratia episcopus ecclesie Brandenburgensis, recognoscimus in his scriptis, quod ob reverentiam omnipotentis dei, matris ejus gloriose, ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum, ecclesie nostre patronorum, nec non anime nostre ac predecessorum et successorum nostrorum remedium salutare, dedimus, appropriavimus nec non presentibus damus et appropriamus honora-

bilibus viris, dominis preposito suisque successoribus ac capitulo dicte nostre ecclesie Brandenburgensi dominium, omnimodam proprietatem et hereditatem stagni retro Pritzerwe et aquarum ad dictum stagnum spectantium *) ac ipsum stagnum et aquas nec non aquarum et Obule Pritzerwe ac ipsas aquas et Obulam a Bristerhavele **) descendente usque ad gurgustum, quod dicitur Stechow, et ultra, ac in dictis aquis et Obula duarum lacunarum dictarum dy nedersten Lanken, cum magnis et parvis piscariis, cum piscatura dicta Alrep et cum omni et qualibet alia piscatura, quibus nominibus nuncupentur, cum tractibus quibuscunque, quocunque tempore ipsis seu aliis eorum nomine placet, cum superiori et inferiori iudiciis, advocatia, censibus, redditibus, meatibus, transitibus, insulis, paludibus, graminibus, usufructibus, utilitatibus, limitationibus et generaliter cum omni jure, libertate et pertinentiis suis singulis et universis, perpetuis temporibus utendum, possidendum et habendum libere et quiete, itaque quod nullus alius aliquo genere piscationis possit nec debeat in dicto stagno, aquis et Obula piscare, nisi de consensu et voluntate expressa dictorum prepositi et capituli dicte nostre ecclesie Brandenburgensis, et sicut ad nos et predecessores nostros hucusque pertinebant, renunciantes pro nobis et successoribus nostris dictis dominio, proprietati, hereditati, stagno, aquis, Obule nec non omnibus et singulis premisis ac omni juri, actioni et impetitioni, quod et que nobis et successoribus nostris in premisis et quolibet premisorum competeat, competit et competere poterit aequaliter in futurum. In testimonium omnium et singulorum presentem litteram nostri sigilli munimine fecimus roborari. Actum et datum Sejeser, anno domini millesimo tricentesimo quadragesimo, presentibus in Christo dilectis Johanne pincerna de Neyndorp, fratre nostro, ac Gumberto de Wantefleve, domino in Aldenhufen, ac aliis pluribus fide dignis.

Nach einem Transsumt aus der Hst. von 1374 und vergl. mit der Copie im ältern Copiaro.

CCXXV. Die Mönche im Kloster Karthaus nehmen die Domherren in Brandenburg in ihre Bruderschaft auf, i. J. 1341.

Reverendis ac religiosis viris et dominis, domino preposito ac ceteris personis ecclesie Brandenburgensis prior Carthusie ceterique diffinitores capituli generalis salutem et orationum suffragium salutare. Exigente pie devotionis affectu, quem ad ordinem nostrum vos habere cognovimus, et caritatis operibus karissimo fratri nostro Ludolfo, monacho majoris domus Carthusie, per vos impensis, ad preces et requissionem ejusdem fratris nostri vobis concedimus in vita pariter et in morte plenam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet omnium missarum, orationum, vigiliarum, jejuniorum, abstinentiarum, elemosinarum ac universaliter omnium bonorum, que in perpetuum per nos ac posteros nostros deus in ordine nostro toto dignabitur operari, adjicientes ex gratia speciali, quod, quando obitus alienjus vestrum nostro generali capitulo fuerit intimatus, pro vobis missas et alia salubria animarum suffragia per omnes domos nostri ordinis injungemus. In quorum testimonium sigillum domus Cartusie, quo capitulum uti consuevit, presentibus est appensum. Datum Cartusie, anno domini M.° CCC.° XLI.° sedente nostro capitulo generali.

Nach dem Originale.

*) Im Copialbuche: pertinentium. — **) Im Transsumt: Bryterhavele.